



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

I. De clericis ad testimonium non pulsandis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

POST consulatum placuit, vt die sexta Kalendarum Iu-  
nii Carthagine in secretario basilicæ Restituta subter  
inferta statuerentur. Cum Aurelius episcopus vna cum  
episcopis suis confedisset, adstantibus diaconibus, con-  
stituta sunt hæc, quæ in sequenti Concilio definita sunt.

## CAPITVLA.

## I.

2. q. 6. Statu-  
tum est, vt  
qui in.

In principio statuendum est, vt qui forte in ec-  
clesia quamlibet causam iure apostolico ecclesiis  
imposito agere voluerit, & fortasse decisio cleri-  
corum vni parti displicuerit, non liceat clericum  
in iudicium ad testimonium deuocari eum, qui  
cognitor vel præsens fuit; & nulla ad testimonium  
dicendum ecclesiastici cuiuslibet persona pulsetur.

## II.

21. qu. 5. Si  
quis cuius-  
libet bono.

Et illud statuendum, vt si quis cuiuslibet hono-  
ris clericus, iudicio episcoporum pro quocumque  
crimine fuerit damnatus, non liceat eum, siue ab  
ecclesiis quibus præfuit, siue a quolibet homine  
defensari, interposita pœna damni, pecuniæ at-  
que honoris, quo nec ætatem, nec sexum excu-  
sandum esse præcipimus.

## III.

Afric. c. 37.  
Cod. Can.  
c. 25. supra.  
Dist. 84.  
Cū de quo-  
rundam.  
Dist. 52.  
Placuit epi-  
scopis, pre-  
sbyt. diac.

Præterea cum de quorundam clericorum,  
quamuis erga vxores proprias, incontinentia re-  
ferretur, placuit episcopos & presbyteros & dia-  
conos, <sup>q</sup> secundum \* propria statuta, etiam ab v-  
xoribus continere. Quod nisi fecerint, ab ec-  
clesiastico remoueantur officio. Ceteros autem  
clericos ad hoc non cogi, sed secundum vniuf-  
cuiusque ecclesiæ consuetudinem obseruari de-  
bere.